HAIMO ALTISSIODORENSIS
3. Viertel 12. Jh. Seite 63r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



iudicio. & cetera. De quibus adhuc subditur. Circuma
micti uestimentis albis. Hoc enim non solum ad apostolos
pertinet. sed generaliter ad omnes qui uestimenta bap
tismatis inuiolata a criminibus capitalibus custodiunt.
Baptizati enim sunt xpm induti. iuxta illud apostoli.
Quotquot baptizati estis. xpm induistis. Ipsique ha
bent uestimenta alba. si inuiolata seruant baptis
mans sacramenta. Et in capitibus eorum coronas au
reas subaudis uidi. Quia uictores accipiunt coronam
quando triumphant de hostibus. non in merito per co
ronas sanctorum regnum & remuneratio eorum intelligitur
qui de mortis auctore triumphant. Sed sicut in illo
sedentes iudicant. ita per illum uictoriam possident qui
dicit. Confidite. ego uici mundum. Potest & sub alio
intellectu eadem ecclesia figurari in uiginti quatuor senioribus.
Constat enim hic numerus ex senario & quaternario.
quia quater seni uiginti quatuor sunt. Senarius
refertur ad operationem. quia sex diebus dominus omnipotens
omnia opera sua perfecit. & sexto die atque sexta hora
hominem redemit. quaternarius uero ad quatuor libros
sancti euangelii pertinet. Quia quoque sancta ecclesia. siue in ueteri
testamento. siue in nouo domini operationem recolit. &
ueneratur. & libros sancti euangelii custodit. recte in ui
ginti quatuor senioribus comprehenditur. uel certe
propter uiginti quatuor libros ueteris testamenti
quibus utitur secundum canonicam auctoritatem. in
quibus & nouum testamentum. & ea que in ea comple
ta sunt prenuntiata cognoscit. Unde & euangelista
dicit de duobus latronibus. qui cum domino sunt crucifixi.